



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 21. Actum de abroganda clausula Articuli IV. Rysvicensis Pacis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVII.
A. C. 1709.

devolvi peterent, hinc Abbas Catholicorum Principum Oratores, ut causæ æquitati faverent, rogabat, hi quoque ad Cæsarem die decima tertia Januarii Anno 1711. supplices dederunt literas, ut iteratis ejusdem jussis Lutherani tandem morem gerere, *mandatis pœnalibus arctioribus* compellerentur, cum aperte constaret, quod *Westphalicæ pacis Instrumentum*, & præsertim annus *directorius pro Abbate ejusque Monasterio militet*, econtra autem Lutherani *studiose & pertinaciter in Abbatis præjudicium temerarie litigent*. Nec vicissim tam Senatus Lutheranus, quam Corpus, ut vocant, *Evangelicorum* feriabantur, sed Cæsaris patrociniū, & Universitatis Hallensis suffragium emendicabant, quin unquam Cæsar, vel Aulico-Imperialis Senatus ab iterata sua sententia recederent, cujus tamen executionem retardabat inopina mors Josephi I. Augustissimi Cæsaris: Anno autem 1729. die vigesima octava Maij denuo Corpus Evangelicorum contra Abbatem hanc controversiam datis ad Cæsarem literis innovare adlaborabat.

§. XXI.

Actum de abroganda clausula Articuli IV. Pacis Rysvicensis.

Hist. Eccles. Tom. LXVIII. F. Rur-

Sæc. XVIII.
A. C. 1709.

*Fabri t. 15.
pag. 138.
Vid. supra
t. 66. S. 43.
l. 212. p. 429.*

Rursus hoc anno Protestantes clausulam Articulo IV. Pacis Rysvicensis additam aboleri, importunius postularunt, & quidem die vigesima septima Augusti in comitiis Ratisbonensibus Catholicis proposuerunt, an præfatam clausulam aboleri parati essent, secus severioribus mediis agendum. Eadem die decreverant, in omnibus tribus Imperii Collegiis urgendum esse, ut tam in locis jam recuperatis, quam restituendis in Ecclesiasticis & Politicis cuncta ad statum Pacis Westphalicæ in Imperio reducerentur, ac præter alia prædictæ clausulæ abrogatio obtineretur, hancque in rem literæ ad Anglos Batavosque mitterentur. Ad hæc Catholici die decima tertia Septembris responderunt, non eam Catholicorum mentem esse, perinde ac si omnem de super compositionem inire recusarent, sed præprimis petere, ut in locis, ubi sola religio Catholica viget, omnia in statu, quo sunt, remaneant, & vicissim in locis vero restituendis, ubi utriusque Religionis subditi degunt, simultaneum Religionis exercitium permittatur, & circa Ecclesiasticorum redditus ac alimenta ad utriusque partis satisfactionem prospiciatur: Protestantes vero abrogationi hujus clausulæ insistendum censebant, eoquod ipsemet

Cæ

Cæsar in suo decreto die 12. Febr. An-
 no 1698. declararit, quod Ordinibus
 inde gravatis in tantum satisfieri desi-
 deret, in quantum Franciæ Rex pacem
 inde violatam fuisse, arguere haud pos-
 set, cessante ergo hoc metu articuli ab-
 rogationem proximæ pacis instrumento
 esse inferendam: de cetero autem Ca-
 tholicorum propositionem, ipsa clau-
 sula pinquiores fore responderunt:
 Apertius igitur Catholici die vigesima
 quinta Septembris mentem suam his
 ferme verbis expresserunt: „Equidem
 „Catholici in nupera belli declaratione
 „manifestarunt, in recuperatis locis
 „omnia tam in Ecclesiasticis quam Po-
 „liticis juxta fundamentales Imperii le-
 „ges disponenda esse, nec tum tamen,
 „nec nunc vel Catholicorum vel Pro-
 „testantium mentem eo abire potuisse,
 „ut Catholica religio per tot sæcula ibi-
 „dem florens, post mutatum in Instru-
 „mento P. W. statum, eliminaretur,
 „& Catholicis, qui in ejusmodi recu-
 „peratis locis degunt, Religionis suæ
 „exercitium cum annexis in Ecclesia-
 „sticis & Politicis penitus adimeretur,
 „& hi vel emigrare cogentur, aut
 „omnino ejicerentur; sed potius, sicut
 „Catholici tunc sibi de Protestantibus
 „polliciti sunt, eos, quoniam hic casus
 „nec in instrumento pacis, nec in aliis
 „pacis

Sæc. XVIII.
 A. C. 1709.

Sæc. XVIII. „pacis negotiationibus prævideri po
A. C. 1709. „tuisset, cum Catholicis hac in re ejus
 „dem fore sententiæ, ita sibi quoque
 „persuasum haberent, eos vicissim ex part
 „Christianæ charitatis impulsu mutuan
 „datuos operam, ut Catholici in re
 „cuperatis & recuperandis locis in sua
 „Religionis libertate relinquuntur, eo
 „quod vicissim Catholici ibidem Augu
 „stanam Confessionem introduci indur
 „sissent, idque ad fovendam mutuan
 „concordiam, ad tollenda inter utrius
 „que Religionis Principes ac subdito
 „dissidia & ad conservandum recipro
 „cum illorum in communi societate ve
 „ventium, in instrumento Pacis Westph
 „licæ fundatum vinculum conducat, &
 „Catholici haud parcius quam Prote
 „stantes sua, suorumque subditorum bono
 „& sanguinem ad commune bonum &
 „recuperandas ditiones ab Imperio a
 „vulsas in hoc bello contulissent: Igitur
 „tur hac de re inter Sacram Majesta
 „tem & Status utriusque Religionis
 „specialius agendum fore: „ Die autem
 „vigesima nona Septembris Protestantes
 „responderunt, superfluum esse trans
 „actionem, sed clausulam omnino abo
 „lendam esse, ratione autem restituend
 „dorum per pacem insistendum utriusque
 „belli declarationi a Cæsare confirmatæ
 „necnon Cæsareæ Capitulationis Para
 graphi

grapho decimo tertio: vehementer vero Sæc. XVIII.
 Catholici Protestantibus exprobrabant, A. C. 1709.
 quod Catholicis ad hujus clausulæ im-
 mutationem paratis, ipsi omnem de-
 super pacificam compositionem respue-
 rent, cum tamen non Catholici, sed
 ipsi priores Anno 1702. 1703. & 1704.
 petierint, omnia Religionis gravamina
 præcipue circa hunc articulum per Im-
 perii Deputatos tolli, eorumque gra-
 vamina in Imperii Senatu pertractari,
 & dilucidari: nihilominus ipsi Imperii
 deputationem declinantes, hanc caus-
 sam ad externos, ad quos minime com-
 petit, devolverint: postea Catholici
 Protestantibus die vigesima nona Se-
 ptembris declararunt, se condescen-
 dere, ut I. per Imperii decretum utrius-
 que Religionis subditis caveretur, quod
 Domini Territoriales eos tolerare te-
 nerentur, nec ullo pacto illis molestias
 creare, vel expellere possent. II. lis-
 dem etiam simultaneum Religionis exer-
 citium in illis locis, ubi nonnisi unica
 exstat Ecclesia, exercere liceat, æqua-
 liter divisis redditibus. III. Ubi duæ
 vel plures exstant Ecclesiæ, quælibet Re-
 ligio suam habeat Ecclesiam. IV. In
 illis locis, ubi Rex Gallix tempore oc-
 cupationis Ecclesias construxit, illæ
 solis Catholicis relinquuntur. V. Ubi
 autem antea nil nisi Protestantes erant,

Sæc. XVIII. Dominus territorialis vero nunc reli-
A. C. 1709. gione Catholicus est, hic Protestantibus in possessis eorum Ecclesiis liberum Religionis exercitium, necessarios redditus, novasque Ecclesias erigendi facultatem concedat, idem vero in casu simili Catholicis Dominis & subditis liceat. VI. In locis restituendis vel recuperandis, ubi omnes sunt Catholici æque ac eorum Dominus territorialis, cuncta relinquuntur *in statu quo*. Si vero Dominus sit Lutheranus, subditorum vero quidam sint Catholici, hi non modo tolerantur, sed etiam eis simultaneum Religionis exercitium permittatur, & redditus pro Divino cultu, Ecclesiasticis, Ecclesiæ & Scholæ Ministris, cæmeteriis, campanis, & turribus dividantur, eisque Ecclesias ædificandi libertas sit: idemque Protestantibus in simili casu concedatur. VII. Catholicis in Argentinensi Urbe præter liberum Religionis suæ exercitium Ecclesia Cathedralis cum annexis private, præter omnes alias Ecclesias a tempore occupationis recens erectas, & præter Canonicos, Monasteria, Ecclesiasticos & Monachos relinquatur unacum redditibus illuc pertinentibus, nec minimum eis detrahatur: denique Catholici in Magistratu, & civitate tanquam cives non modo tolerantur, sed etiam de-

defunctis alii Catholici in Senatu, aliis-^{Sæc. XVIII.}
 que Officiis subrogentur, qui pari nu-^{A. C. 1709.}
 mero cum Protestantibus, veluti in loco
 Religionis mixtæ sint. Verum Prote-
 stantes declararunt, quod nunquam
 amicabilem compositionem circa notam
 clausulam admittere, sed semper eam
 penitus aboleri intenderint: quocirca
 die duodecima Octobris decreverunt,
 deinceps Catholicis vel omnino non
 respondendum, vel declarandum, quod
 illis Protestantes nunquam jus ullum
 ex Risvicensi clausula asseruerint: Non
 deerant alii, qui hujus controversiæ
 decisionem ex eo retardari crederent,
 quod neutra pars in religionum diffidiis
 fatis aperte mentem suam declarasset:
 eapropter Catholici Principes atque Or-
 dines die vigesima sexta Octobris se-
 quentes suæ pacificationis articulos ex-
 posuere.

I. Protestantium declaratio, vi
 cujus Catholici subditi, alique etiam
 Equestris Ordinis subditi, sive eorum
 numerus sit magnus, sive exiguus in
 pleno ac libero Religionis exercitio in
 locis recuperatis vel ex futura pace re-
 cuperandis non perturbentur, nec im-
 pediantur, sed ita manu teneantur, ut
 defunctis Catholicis alii in cives, sub-
 ditos, & assessores, etiam in eadem
 officia succedant, etsi Dominus terri-

Sæc. XVIII. A. C. 1709. torialis non sit religioni Catholicæ ad-
 dictus, hæc, inquam, declaratio ex iden-
 titate rationis ad loca sub clausula
 Articuli IV. Pacis Rysvicensis compre-
 hensa extendatur, & de iis cuncta,
 prout apud Catholicos usuvenit, una-
 cum eorum Regularibus utriusque se-
 xus, Scholarum & Ecclesiarum Mini-
 stris, publicis processibus in diebus
 Dominicis & festis, exequiis præferen-
 do crucem, pulsationibus, cæmeteriis
 &c. sine ullo impedimento, nullo con-
 tradicente, Catholicum exercitium ha-
 bendi, novas Ecclesias, Scholas, &
 Parochiales ædes extruendi, & harum
 omnium usum habendi, nominandi, suis
 expensis alendi, fundandi, & restau-
 randi jus habeant, diversam tamen pro-
 fitentibus religionem Dominis territo-
 rialibus quicquam in his immutare,
 impedire, inhibere non liceat, idque
 eis omni tempore prohibitum sit, &
 ubi nonnisi unica extat Ecclesia, Ca-
 tholicis saltem tamdiu simultaneum Re-
 ligionis exercitium concedatur, donec
 aliam extruxerint.

II. Ubi binæ vel plures Ecclesiæ
 sunt, saltem una Catholicis tradatur,
 & Catholici, uti supra, pleno fruatur
 Religionis exercitio.

III. Ecclesiæ, Scholæ, Hospitalia,
 aliæque piæ foundationes a Catholicis
 tem.

tempore Gallicæ occupationis erectæ, Sæc. XVIII.
 fundatæ aut dotatæ Catholicis priva- A. C. 1709.
 tive plenoque jure relinquuntur, quin
 a Dominis territorialibus, alterius Re-
 ligionis vel eorum Ministris aut subdi-
 tis turbari possent, ubi vero nonnisi
 Catholici sub Domino Catholico de-
 gunt, ibi omnia remaneant *in statu quo*.

IV. In locis recuperatis & recupe-
 randis & sub clausula Articulo IV. Pa-
 cis Rysvicensis comprehensis, ubi nunc
 Catholici Senatores, Judices, cives,
 subditi &c. sunt, vel alia officia a Ca-
 tholicis administrantur, nunc & impo-
 sterum maneant, & defunctis alii Ca-
 tholici subrogentur, quin quoad hoc
 Domini territoriales alterius vel mixtæ
 Religionis quicquam immutare vel in-
 hibere valeant.

V. Circa civitatem Argentinensem
 idem observetur; cum ipsimet Prote-
 stantes probe sciant, quod Catholici
 ibidem anni normalis Statum plene
 observare nequeant, eoquod potissima
 Magistratus & civium pars sit Catho-
 lica: Catholici tamen parati sint, Pro-
 testantibus in Ecclesia Cathedrali Exer-
 citium Religionis simultaneum in-
 dulgere.

VI. In locis recuperatis & recupe-
 randis in clausula Rysvicensi compre-
 hensis nulli Domino territoriali con-

Sæc. XVIII. cessum sit jus reformandi aut expellendi
 A. C. 1709. subditos etiam invitos alterius Reli-
 gionis.

VII. Observandum tamen, quod hæc transactio duntaxat ad loca in præfenti hoc bello tam recuperata quam recuperanda extendenda sit.

VIII. Hæc ipsa transactio non præjudicet pactis & conventionibus inter ipsos Territorii Dominos eorumque subditos initis, aut post pacem Monasteriensem, Noviomagensis & Rysvicensem, modo quocunque & ubicunque locorum initis, & hucusque observatis, causæ autem Ecclesiasticæ vel Consistoriales intra cujuscunque Religionis Diæcesin & Consistorium decidantur.

§. XXII.

Protestantium literæ ad Angliæ Reginam hac in causa.

*Fabri l. c.
 pag. 178.*

Cum Protestantes non modo integram prædictæ clausulæ abrogationem in proximæ pacis instrumento a Galliarum Rege ratam haberi, dictæque pacis articulis inferi peterent, sed etiam hanc controversiam legitimi judicis agnitioni subtrahere molirentur, hinc ad consequendum hoc propositum suum Annæ Angliæ Reginæ, & Batavorum patrociniū implorabant, & præp-
 mis